

1

9 September 1589. Prior Lier aan Gr. Ch.

(Antonius a Fine)

Salutem in domino Jhesu sempiternam. Rme in Christo  
pater, recepimus litteras a R.V. ad nos missas ex quibus  
intellescimus ex conflagratione domus Curerie maximum  
detrimentum accidisse R.V. unde multum dolemus. Nobis  
ex aquarum abundantia etiam in dies maxima mala ac indi-  
cabilia damna proveniunt: et multa alia mala nos undique  
contristant ( sic ubique luctus et dolor) , nihil aut  
saltem valde parum de nostris bonis recipimus nam ubi-  
cumque locorum siut situata, vacua manent et infructuosa,  
sicut scripsimus R.V. atque nunc plenius in presentia  
D. Visitatoris nostri Venerabili patri Visitatori Piccar-  
die sigillatim expressimus ut viva voce R.V. lucide ac  
clare ostendere possit et R.V. provocare ad misericor-  
diam pro domo nostra in dimittendis debitibus: que adhuc  
domni Carthusie debemus. Nam intelligere debet R.V. nisi  
mea presentia ex hereticorum faucibus eripuisse que a  
nobis sunt recepta tam de bonis carthusie quam domus  
nostra: nihil aut valde parum de duobus aut tribus ulti-  
mis annis 79, 80 et 81 fuisset receptum. Nam d; Prior

distensis qui in eisdem quoque locis habet sua bona nihil penitus de supradictis annis recepit. Misi annis superioribus mille et ducentos florenos et nunc per V. Patrem Valencenarum mitto adhuc sexentos florenos. Rogamus R.V. quatenus nunc domum nostram de reliquis debitis absolvere dignetur: aut saltem bonam moderationem facere digneris. Nam unde nostram familiam diutius sustentare poterimus nescimus, nam singulis annis maiora gravamina nobis proveniunt ex desolatione bonorum nostrorum et militum devastatione. Impossibile est scribendo R.V. ostendere miserias nostras. Sed V.P. Valencenarum, sicut nobis promisit viva voce de omnibus clare ac dilucide ostendet et enarrare poterit R.V. Rogamus per viscera misericordie dei nostri ut nostra debita dimittere dignetur R.V.: hec cum maxima festinatione scripsi qui V. Pater Valencenarum ad iter erat acciuctus. His paucis R. P.V. domino Deo altissimo commendamus ac nostram domum in R.P.V. tutelam committimus.

Bruxelle 9 Semptembris 1589.

Vre R.P.V. filius ad aram usque obsequiosissimus fr. Anthonius a fine Prior domus Lyre desolatissime.